DE

METHODO DIAPHORETICA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS,

IN

UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI,

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR,

DIE XXIII. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXVIII.

H. L. Q. S.

PALAM DEFENSURUS EST

AUCTOR

CAROL. GEORGIUS SCHIEGNITZ,

HALBERSTADIENSIS.

OPPONENTIBUS:

C. NEUMANN, MED. ET CHIR. DR.,

G. SINSTEDEN, MED. ET CHIR. DD.,

J. SYDOW, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI,

TYPIS AUGUSTI PETSCHII.

Τὰ νοσήματα πάντα λύεται ἢ κατὰ ὄγκον, ἢ κατὰ κοιλίην, ἢ κατὰ κύστιν, ἢ τινὸς ἄλλου ἄρθρου κυρίου, ἡ δὲ τοῦ ἱδρῶτος ἰδέη κοινὴ ἁπάντων.

HIPPOCR. de victu acutorum.

AMICO

CARISSIMO, DILECTISSIMO, OPTIMO

HENRICO MAYER,

VIRO HUMANISSIMO,

HASCE

QUALESCUNQUE PAGELLAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Praeter gravissimam sensus animalis tactusque functionem, cutis id quod agit negotii, ut per vasa exhalantia vaporem quendam reddat, qui statim vel per aërem diffunditur, vel a tegumentis absorbetur et quasi peculiarem aërem, corpori circumfusum, sistit; ideoque ad corporis calorem animalem multum confert. Iste quidem processus „perspirationis insensibilis s. cutaneae s. sanctorianae" nomine designatur.

Usus eximius materiae exhalatae ad respirationem et ceteras corporis secretiones et excretiones, magna ejusdem materiae copia, ambitus cutis ingens ejusque cum omnibus corporis organis et systematibus consensus, atque perpetuum cum externis injuriis commercium, quod morbis quasi fores aperit, praecipue autem detrimenta, quae turbatam et suppressam exhalationem sequi solent, — satis superque illius functionis dignitatem evincunt.

Quemadmodum vero cutis transpiratio normalis ad valetudinem servandam maximi est ponderis, ita in morbis praecipue eam respiciendam esse, ut morbi et avertantur et tollantur, experientia docuit. Optimo igitur jure in distribuendis remediorum classibus et methodis cardinalibus therapeuticis constituendis, actio cutis turbata aut suppressa digna est, quae maxime respiciatur; quamobrem methodus diaphoretica jam ab antiquissimis inde temporibus proposita et stabilita est. Omni fere aevo vis, quae dicitur „diaphoretica" una eademque ratione defi-

nita et tantum, quod non ineptum videtur, e gradu virium delectus habitus est.

Remediis diaphoreticis omnia adnumerabantur, quae diaphoresin, id est cutis perspirationem promovent, eademque in duas classes dividebantur, quarum altera continet ea, quae transpirationem blandam efficiunt, et remedia diaphoretica sensu strictiori, seu diapnoïca vocantur, altera autem ea habet, quae sudorem excitant et sudorifica seu sudorifera, vel hydrotica appellantur. Quae remediorum virtus quum tantum relativa sit multisque fortuitis rebus imminuatur vel augeatur, inprimis autem a forma, qua adhibentur, pendeat effectus, num remedia diaphoretica vel exhalationem leniter promoveant, vel sudorem cieant, discrimen illud maxime esse ambiguum stricteque defendi non posse, satis liquet.

Ut remediorum diaphoreticorum virtutes accurate determinentur, plurimum interest, ut moneamus, actionem cutis, itaque perspirationem cutaneam multis modis, imo sano corpore, mutari processumque non omnibus temporibus et conditionibus unum eundemque esse. Inprimis perspiratio cutanea pendet a gradu vitalium virium organi, a majori vel minori retis capillaris turgore, quod systema vasorum format, maxime etiam a sensibilitate aucta, aut imminuta, et sanguinis vel majori vel minori orgasmo. Causae, quae utramque illam cutis actionem movent, externae et internae esse possunt. Ad externa perspirationis adminicula, quum experimenta docuerint, atmosphaera actionem cutis pari modo ac respirationem mutari, praecipue referendae sunt aëris conditiones, inter quas principem locum tenent, quae sequuntur:

a) Calor, cujus gradus intensior adfinitates chemicas auget, systema nervosum excitat et sanguinis uberiorem affluxum ad vasa cutanea gignit, ergo exhalationem uberiorem reddit, simulque qualitates mutat. Hinc videmus, cutis perspirationem aestivo tempore et in calidis regionibus largiorem esse, quam hieme et frigidis orbis terrarum locis; eodem modo fit, ut morbi cutanei frequentiores, pectoris

vero et organorum uropoëticorum affectiones rariores occurrant in terris calidis et vice versa.

b) Varia lucis efficacia in cutaneam perspirationem vim manifestam exserit.

c) Varia electricitatis copia, quae atmosphaerae inest, non parum conferre et cutis functiones ita movere videtur, ut ipsa tempestate imminente vel sicca sit, vel sudore diffluat.

d) Varia aëris densitas, quae non aequabiliter cutem premit et vasa cutanea coërcet, aut expansionem eorum minus restringit, perspirationem minuit vel auget.

e) Vapores aquosi per aërem volitantes et dispersi, prout aucti sunt aut imminuti, perspirationem vel promovent vel minorem reddunt.

f) Plurimum autem valet aëris chemica mixtio, quae, cute eximium commercium cum atmosphaera alente, tanti momenti est, ut omnis chemica aëris depravatio in cutis organon vim maxime noxiam exhibeat.

Perspirationis adminicula interna.

Subit haec functio diverso tempore mutationes diversas, siquidem energia vitalis, quae eam gubernat, diversis vicissitudinibus obnoxia sit. Digestionis tempore, quo actio vitalis in ventris visceribus eminet, illa minuitur, quo vero munere peracto, augetur et virium aequilibrium restituitur. Alit dein cutis functio necessitudinem cum aetate et sexu, qua de causa infantes, foeminae et senes minus transpirant, et plus urinae excernunt, viri autem mediae aetatis plus per cutem edunt, minus vero lotii excernunt. Temperamentum praeterea et constitutio individua in hanc functionem maxime influunt. Plurimum etiam valent ad cutaneam perspirationem vitalia munera, ut viribus aliorsum conversis deprimatur. Minuitur haec functio cutis, viribus per nimium corporis et mentis exercitium, per seminis profluvia exhaustis; promovetur autem moderatis laboribus somnoque placido. Antagonismus etiam ille inter cutis functionem et internas secretiones, nec non peculiaris sympathia inter cutem et partes genitales viget. Animi porro motus, ut gaudium, ira,

metus, perspirationem augendo, terror vero, tristitia, moeror, animum et exhalationem cutis supprimendo vim suam expromunt. Potus denique copiosi, calidi praecipue et pharmaca quaedam, cutem specifica vi incitantia, virtute, perspirationis augendae, pollent. —

Diaphoretica, ut vim iis insitam exserere possint, vires cutis vitales augeri, rete vasorum turgescere, et, ut brevibus dicam, exhalationem cutaneam vehementer esse adauctam et sanguinem liquoribus serosis abundare, oportet. Remedia, quaecunque sint, quibus ad cutem universam incitandam utimur, ob ingentem superficiem, per quam cutis extenditur, vasorum erethismum et febrem inevitabilem afferunt. Semper igitur diaphoreticorum effectus pulsu frequenti, sed molli et undoso, respiratione magna et facie inflammatoria stipatur. Quam ob irritationem sanguinis, vasorum et nervorum, reactiones in omnia organa vegetativa externa et interna, in systema nervosum et irritabile apparent per antagonismum et consensum. Ante omnia ergo diaphoretica in cutem ipsam exserunt virtutes suas. Vis cutis vitalis, si imminuta et cutis ipsa laxa est atque sudore multo et profuso dimanat, diaphoreticis in usum vocatis vigor major, energia adaucta et robur apparent, cutis calescit, naturae convenienter secernit et tangentibus caloris animalis normalis sensum offert. Cutem siccam, frigidam et strictam reficiunt et spasmum, qui cutaneus vocatur, resolvunt diaphoretica, functionem legitimam efficiendo. A cute effectus diaphoreticorum ad organa interna propagatur. Organorum externorum vigor vitam auctam systematis nervosi et organorum centralium sistit, vasorum irritabilitatem validiorem reddit; sanguinis majori copia ab organis internis derivata cutemque petente, partes internae congestionibus liberantur et vasa liquoris plena et inertia promtius agunt, circulatio aequabilis restauratur. In aliis etiam partibus resorptio et secretio mutatur, actio cutis vicaria, in alias partes translata, ad normam redigitur, secretiones omnes inter se conciliantur et excretiones, in internis partibus spasmo vel plethora retentae, restituuntur. Respicienda autem est vis diaphoretico-

rum debilitans, qua effici oportet, ut copia partium, quae vitam constituunt et servant, minuatur et evanescat, ideoque humorum incitamenta, vitae maxime necessaria, detrahantur; qua de causa diaphoretica via directa et indirecta debilitant, eoque majorem collapsum efficiunt, quo uberius, profusius et celerius sudores eliciunt.

Diaphoreticorum natura et indoles inter se differt, quapropter in morbis diversis remedia stadiis eorum accommodanda eorumque effectus in omnia systemata respiciendi sunt. Cum autem remedia, quibus vis inest diaphoretica, ob diversissimos eorum in alia systemata corporis et organa effectus eosdemque praestantiores, in systematis formam redigi nequeant, selectum eorum habere mihi liceat.

SELECTUS DIAPHORETICORUM.

I. *Narcotica.*

Vi specifica, sensorium irritandi, pollent, ceteros nervorum plexus demulcent, dolores et spasmos tollunt, sanguinis orgasmum vehementiorem ad venas cutaneas accelerant, et aliquo tempore post secretionem tam cutis auctam, quam hepatis provocant, digestioni autem minime favent, sed eam debilitant et exstinguunt, actionem systematis lymphatici et plastici concitant et cum diaphoresi urinae excretionem cient.

1. Opium.

Narcoticorum vires maximopere involvit et combinat, qua de causa praecipue sensorium excitat et sensum euphoriae provocat. Fines irritatos nervorum, qui ad cutis peripheriam extenduntur, eorumque spasmos compescit. Systema sanguiferum et irritabile graviter excitat, pulsum frequentiorem et fortiorem, respirationem validiorem et pleniorem reddit, congestiones efficit ad cutem, calorem ejus auget et sudorem copiosum elicit. Cutis externa, opio adhibito, haud minus aequabiliter exhalat, sanguis autem omnino fere impeditus, quo minus per venas recurrat, in cutaneis accumulatur, qua de causa

secretiones tunicae pituitosae s. intimae tractus intestinorum, pancreatis, parotidum, renum et bronchiorum retinentur.

2. Stramonium.

De virtute Stramonio propria medici inter se dissident; excretiones autem cujusvis generis, praecipue glandularum cutis sebacearum, promoveri constat.

3. Belladonna.

Praeterquam quod Belladonna vim involvit narcoticam, vasa et sensorium excitantem, quae certo neminem fugit, in omnibus paene organis vegetativis, praecipue in tunicis serosis, pituitosis et cute secretiones efficit copiosas; urinae major copia secernitur, lingua et fauces humescunt et de poris cutaneis sudor manat.

4. Crocus orientalis.

Systema nervosum directe excitat et si *Boerhaavio* fides habenda est, quod nemo dubitat, risum perpetuum movet, in vasa sanguifera majorem vim exserit, inprimis in haemorrhoïdalia, et expectorationem et excretiones per cutem inducit.

5. Dulcamara.

Vis ejus in systema nervosum et sanguiferum minor, quam Croci, est, sed vitam vegetativam systematis lymphatici fovet, inprimis vero vis ejus expectorans, diuretica et diaphoretica eminet.

6. Aconitum.

Narcoticum acre, systema nervosum excitans, resorptionem, diuresin et diaphoresin, imo vero sudorem profusum et pruritum cutis vehementem ac formicationem profert.

7. Taxus baccata.

Resorptionem auget, erethismum vasorum excitat, praesertim haemorrhoïdalium, cutem rubefacit et sudores profusos peculiari et injucundo odore insignes elicet, quos pruritus et pustulae comitantur.

8. Rhododendron.

Doses ejus exiguae omnes secretiones promovent, majores vero ardorem, oris siccitatem, sitim, pruritum, formicationem, praesertim autem sudorem largum cient.

9. Herba Cicutae.

Praeter virtutes ei innatas excretiones sudoris et urinae concitat.

II. Metallica.

1. Antimonium s. Stibium.

Exiguae doses excretionibus superficiei internae et externae adauctis, praesertim cutis exhalatione uberiori insigniuntur, qua de causa unanimiter diaphoretici specifici instar mercurio proponitur.

2. Hydrargyrum.

Omnes secretiones copiosiores reddit, partium cohaesionem diminuit, resorptionem adauget.

3. Sulphur.

Praecipue vim exserit in cutem externam, tarde, paulatim et assidue secretionem ejus fovet, calorem animalem intendit, pari modo perspirationem pulmonum et intestinorum secretiones promovet et circulationem sanguinis per venas hypogastricas accelerat, minime autem systema vasorum irritat.

III. Acria.

Remedia hujus classis omnia corporis systemata excitant, praecipue omnes secretiones et excretiones, nec non resorptionem promovent; usus eorum diuturnior vires organismi frangit, systemata omnia debilitat. Systema vasorum sanguiferorum paululum tantum incitant et energiam intendunt. Acria, ea ratione adhibita, ut vomitum moveant, cutem magnopere ad exhalationem compellunt, omnes secretiones et excretiones eliciunt, vasa sanguifera vehementer incitant, orgasmum producunt et vegetationem omnium organorum, inprimis systematis nervosi actionem perversam restituunt.

Exceptis, quae nimia dosi vomitum cient, ex acrium numero diaphoretica haec sunt: 1) Senega. 2) Arnica. 3) Daphne. 4) Rhus toxicodendron. 5) Formicae. 6) Vermis majalis. 7) Sabina. 8) Juniperus et 9) Herba Jaceae. Inter haec praecipue Sabina, Juniperus et Herba Jaceae pollent vi specifica diaphoretica, sed respiciamus necesse est alias eorum virtutes.

1. Herba Jaceae praeter diaphoresin inprimis urinae excretionem accelerat, nec non usu diuturniori secretionibus cutis et renum peculiarem indolem praebet, si organismus humorum vitiis laborat.

2. Juniperus communis.

Systema vasorum parum afficiens vim exserit in organa hypogastrica et mulierum genitalia solventem, secretionem urinae elicit praecipueque cutis transpirationem promovet.

3. Sabina.

Remedium admodum excitans, sanguinis venosi circuitum commovens. In uteri parietes efficaciam specificam exhibet omnesque secretiones et excretiones uberiores reddit. —

Praeter vim eorum, totum corpus excitandi, illud notandum est, quod, si cuti applicantur remedia acria, humorum affluxum augent, cutem irritant, rubefaciunt et erodunt; qua de causa virtutem involvunt revulsoriam.

IV. Aetherea.

Systema nervosum et organa, irritabilitati inservientia, incitant, quamobrem omnes corporis actiones et functiones, inprimis cutaneas, augent; quorum diaphoreticum excellentissimum

1. Ammonium ejusque praeparata praedicantur. Praeter volatilitatem specificam, qua omnia systemata exagitant, inprimis renes et cutem ad actiones compellunt, ventriculi aciditatem exstinguunt et organorum, vitae vegetativae providentium, spasmos tollunt. Ex Ammonii praeparatis diaphoretica efficacissima haberi queunt:

a) Ammonium subcarbonicum,
b) Liquor Ammonii succinici,
c) Liquor Ammonii acetici.

2. Moschus.

Remedium volatile excitans, nervinum, antispasmodicum, expectorans, systema vasorum parum afficit, sed cutem quam maxime ad exhalationem pronam reddit. Haec moschi virtus, sudorem provocandi, praecipue cognoscitur, si pulsum non concitat, sed sedat, systematis nervosi sensibilitatem

permulcet et his peractis exhalationem largam universalem cutis inducit.

3. Oleum animale.

Nervos, e cerebro originem ducentes, afficit et contra vermes, inprimis Taeniam solium multum, vel si medicis fidendum est, plurimum valet. Secretionem praeterea cutis insensibilem in sudores mutat.

4. Camphora.

Medicamentum, quod systema nervosum excitat et afficit, facillime congestiones movet; virtutes ejus antisepticae et anthelminthicae multis jam modis exploratae sunt; contagiorum vires tollit, resorptionem juvat, partes genitales quam maxime debilitat, singulatim exhalationem copiosam cutis elicit.

5. Aether.

Multo prius, quam spirituosa, adhibitus est; exhalationem per totum corpus diffusam ciet; qua de causa Naphtha ejusdemque praeparata laudata sunt diaphoretica.

6. Vina.

Inter se vel virtutibus omnibus, vel diaphoreticis tantum discrepant; quodvis vinum, quantitate sufficiente haustum, sudorem evocare valet, maxime autem validum et vetustum. Vina diaphoretica, quae dicuntur, nostro aevo abrogata sunt, temporibus vero antiquioribus frequenter in usum vocabantur (vina mundificantia).

7. Valeriana.

Antispasmodicum, excitans, anthelminthicum et roborans, praecipue iis opitulatur morbis nervosae indolis, qui cutis perspirationem suppressam offerunt. Ad cutem incitandam valeriana magni momenti est et ceteris faventibus exhalationem haud exiguam profert.

8. Serpentaria.

Majorem vim in omnia organa, inprimis in cutem exserit, quam Valeriana.

9. Sambucus.

Omnes ejus species, praesertim flores Sambuci nigrae volatili, quo gaudent, principio, vasa leniter incitant et humores extenuant, hinc intus ad sudo-

rem movendum, extrinsecus ad discutiendum administrantur, maxime in morbis, qui dicuntur sthenici.

10. Lignum et Cortex Sassafras.

Sassafras jam inde a dimidio secundo saeculi decimi sexti in materiem medicam ob virtutes sudorificas receptum et lignum foeniculatum nominatum est; systema vasorum excitat et admodum calefacit, humorum stagnationes in vasis lymphaticis et glandulis solvit, eorum mixtionem corrigit et cutis secretiones provocat.

11. Calamus aromaticus.

Systema nervosum excitat, sanguiferum impellit, ossa roborat, digestivum est et diaphoreticum.

12. Balsama nativa.

Systema vasorum calefaciunt, nervorum vero parum excitant, et excretiones pituitosas promte corrigunt, nimia dosi profusas imminuunt et alvum, diuresin, maxime diaphoresin promovent, quae sequuntur:

a) Terebinthina.
b) Pix liquida.
c) Oleum Petrae.

Terebinthina modo exiguam virtutem in cutem exserit, quod idem de pice nigra liquida, quae egregio cum fructu contra pituitam copiosam adhibetur, dictum accipias. Petroleum excretiones urinae, praecipue omnes pituitosas, parum cutis exhalationem auget; — vulgo etiam tria ista remedia haud temere ad sudorem movendum in usum vocantur.

d) Resina Guajaci, nec minus lignum ejus, secretiones mediocriter augent et perversas emendant organa exhalantia roborant, quod maxime in intestinis, renibus et cute perspicitur. Idem praeterea remedium, per omnia probatum, quod diaphoresin provocet, jam antiquissimis temporibus cognitum fuit.

V. Amara resolventia,

quorum plurima diuretica, alvum ducentia, expectorantia, resolventia, roborantia, systema vasorum paululum excitantia, nec minus diaphoretica nominari possunt. Inter usitatissima referenda sunt diaphoretica, quae sequuntur:

1) herba et radix Taraxaci,
2) herba cardui benedicti,
3) herba Absynthii vulgaris,
4) radix Artemisiae vulgaris,
5) cortex Cascarillae,
6) strobuli Humuli lupuli,
7) herba Fumariae.

His amaris adjunguntur plura amaro-mucilaginosa, sudorem evocantia, qnorum hic mentionem faciam:

1) radix Graminis,
2) radix Bardanae,
3) radix Saponariae,
4) radix Sarsaparillae.

Quae omnia egregia diaphoretica habentur eoque magis, quod salva digestione diutius adhiberi possunt; cutis et membranarum, praecipue serosarum, vegetationem intendunt et accelerant, resorptionem vasorum lymphaticorum et glandularum exaltant, ideoque humorum mixtionem optime corrigere dicuntur.

VI. Acida.

Acidorum omnium mineralium maximam vim in cutem exserit Acidum nitricum, quod cum virtute propria antiseptica, profluvia sanguinis inhibendi, erethismum systematis nervosi auctum permulcendi, vasa paululum excitandi, conjungit facultatem, excretionem urinae uberiorem reddendi, cutem excitandi et resorptionem systematis lymphatici et glandularum adaugendi.

Inter acida vegetabilia, quibus, quod irritabilitatem debilitant et supprimunt, efficacia mineralibus contraria inest, haec digna sunt notatu:

1) Acidum tartaricum.
2) Acidum citri.
3) praecipue Acidum aceticum, quod, vigente cutis plethora ipsaque cute rubescente, calescente aridaque, multiplicem affert utilitatem per vim diaphoreticam.

VII. Aquea.

Aqua calida, tam intus quam extrinsecus adhibita, expandit et relaxat, omnes secretiones et excretiones concitat, resolvit, spasmos demulcet atque sopit. Balnea calida universalia sanguinis cursum ad superficiem externam evocant eumque ab interioribus partibus derivant, at vasorum systema, vel temperie graduum 25 — 26 R. excitant, qui effectus remediis volatilibus, sulphurosis, martialibus aliisque mineralibus vel augetur, vel multifariam temperatur.

Balnea calida localia sanguinis impetum ingentem ad partes aqua circumfusas, itaque derivationem a reliquis organis efficiunt; his adnumerantur maniluvia, pediluvia et semicupia. Haud secus balnea vaporosa universalia et suffumigationes directe in cutis transpirationem agunt.

Inter diaphoretica antiphlogistica locum principem sibi vindicant.

1) Ammonium muriaticum.
2) Nitrum.

QUIBUS DIAPHORETICORUM USUS INDICETUR.

1) Diaphoresis, ut proprie dicam, naturae ipsius est methodus, qua materiem febrilem foras protrudit et prae ceteris idonea est et accommodata, ubi natura, sibi ipsi derelicta, dictam materiem primum digerit, dein rite coctam per corporis ambitum blande expellit. Criticus sudor, nisi vel dies inciderint critici, aliudve excrementum apparuerit, expectari potest, si cutis splendescit, calet, rubet, mollescit, humescit, tumet, nec non prurire incipit, si facies turget, quodammodo tumescit et colorem rubrum induit, si, quoties levis aura afflatur, horror exoritur, si pridie diem criticum rigor animadvertitur, si aegrotus artuum languorem et dedolationem cum molesta respiratione conqueritur, si pulsus arteriarum magnus, undosus, mollis — pulsus inciduus Solani — magis magisque apparet, vel durus,

rus, magnus et frequens reperitur, modo autem mollioris, modo parvi et tardi speciem offert, si symptomata coctionis praecesserunt. Ubi morbus a cutis actione suppressa originem traxit, et sudor exortus est diebus criticis, tum potissimum mere criticus haberi potest. Qui sudor, si obstaculo quodam impeditus, quo minus perfecte prorumpat, eam postulat agendi rationem, qua causae vel tollantur, vel efficiatur, ut cutis secretio statim adjuvetur.

2. Diaphoretica in usum vocanda sunt, ut auctus cordis erethismus temperetur, et omnino sanguinis congestiones ab organis internis deducantur. Quo in casu tum maxime diaphoretica indicantur, cum congestiones suppressae vasorum cutis vitae originem debent et harmonia vasorum systematis turbata est. Praecipue igitur congestionibus, quae dicuntur passivae, quibus stagnationes humorum et in pectoris et abdominis organis facillime gignuntur, quae si animadvertuntur, tam a suppressa, quam imminuta cutis actione, vel ex atonia vasorum parietum pendent, ad diaphoreticorum virtutem dissolventem et stagnationes solventem confugiendum est.

3. Inprimis sudorifica eatenus prosunt, ut partes humoribus immixtas et alienas e corpore eliminent. Quo in casu ea plurimum valent, quae et cutis actionem et resorptionem adaugent et adjuvant. Quem in finem inprimis tempore, quo doctrina de humorum pathologia viguit, decocta, quae sanguini purgando inservirent et seri abundantiam omniaque aliena ei detraherent, commendabantur, quum omnes corporis secretiones et excretiones augeant, potissimum cutis perspirationem. — Quae autem cutis actio adaucta, quum per longius tempus alenda sit, qua sola ratione fit, ut methodus diaphoretica id, quod molitur, obtineat, cutem efficit laxam, sanguinis qualitatem abnormem, quod multis medendi rationibus maximopere expectamus assequique studemus. Attamen bene dispiciatur, ut ad horum remediorum virtutem, qua hunc in finem utimur, cautissime et juxta certas tantummodo indicationes confugiatur, quoniam abusus, quod agendi methodi medicorum, omnium fere morborum e sanguine

correpto sive nimium fluido originem deducentium, persaepe docuerunt, inter alia damna nutritionis turbas infert, quas ad normam reducere non licet.

4. Multum porro valet diaphoretica methodus ad nervosi systematis spasmos discutiendos. Per antagonismum, qui inter cutem et nervos intercedit, saepissime cutis perspiratione suppressa vel diminuta spasmos excitari videmus; sed etiam spasmi, actione ejus non turbata exorti, sedantur praecipue cute calida et aequabiliter exhalante. Verum etiam spasmis, qui gignuntur exanthematum libera et regulari efflorescentia impedita, nec non spasmis, qui congestionibus sanguinis ad organa interna, cutis praesertim perspiratione laesa exortis, producuntur, virtus diaphoreticorum plurimum auxilii praestat. Saluberrimam autem vim exserunt diaphoretica contra spasmos, qui dicuntur cutanei, et remediis nervorum actionem perversam corrigentibus non cedunt.

5. Ad tollendos morbos cutis locales inserviunt, qui mutata aut turbata transpiratione nituntur. Exanthema vel penitus vel partim repercussum, indagata et sublata repercussionis causa, remediis emollientibus, cutis actionem blande incitantibus, vel irritantibus, morbosam secretionem singularium cutis locorum efficientibus, restitui oportet. Non minus diaphoretica prosunt in stadio infectionis morborum contagiosorum, ad virus corpore expellendum. Morbi quoque secundarii exanthematum, qui effectus imperfectae transpirationis cutaneae sistunt, actionem cutis intendi jubent.

6. Diaphoretica morbis universalibus opitulantur, qui cutis functioni mutatae, aut plane suppressae originem debent. Morbi hanc causam profitentes tam diversi et commercium eorum cum hoc momento causali adeo multifarium est, ut *Sanctorius* omnes propemodum affectiones a turbata transpiratione insensibili derivaret. Omnes igitur morbi rheumatici et catarrhales, imo febres quaedam intermittentes, a perversa cutis secretione pendentes, diaphoreticorum usum expostulant.

CAUTELAE.

Quantacunque diaphoreticorum sit efficacia, tamen singularis earum administratio magnam expostulat circumspectionem, quum vis, quam remedia, cutis actionem augentia, in organa nobiliora exserunt, maximi sit momenti. Proinde vis vitalis corporis universi et generalis efficacia medicaminum respiciatur, quibus ad movendam diaphoresin uti velimus. Humorum evacuatio nimia, vel corpore morbis jam debilitato adhibita, vires magis frangit et cachexias inducit, quae saepius difficillime curantur. Medicus, diaphoretica administraturus, praecipue vasorum irritationem respiciat; quae enim si exstat, remedia sudorifera, quorum effectus nunquam non calefaciens est, sanguinis orgasmum adaugebunt, febriles motus intendent, itaque haemorrhagias efficient, quod, hominibus plethoricis, vel sanguinis congestionibus ad caput exortis, considerandum venit. Haud raro etiam natura in morbis, suppressam cutis transpirationem secutis, aliam excretionem salutarem, v. c. per alvum aut vias uriniferas, inducit, quam diaphoretica, humoribus ad cutem congestis, disturbent, ergo morbum protrahant, aut periculosiorem reddant, necesse est. Inimicissima cutis transpiratio adaucta est, ubi sordes gatricae et alvi obstructiones exstant, quibus saepe sudor symptomaticus supervenit, non promovendus, nisi saburrae sint depulsae.

His praemissis, facilius contraindicationes speciales stabiliri posse, existimo.

QUAENAM DIAPHORETICORUM USUM VETENT.

Quamquam diaphoretica multis in morbis tam cutis, quam chronicis praesertim egregiam ferunt opem, abusus tamen eorum plurima corpori gravissimaque infert damna, quam ob rem momenta, eorum administrationem vetantia, hic apponam:

1. Debilitas tam directa, quam indirecta, quippe quae iis prorogatur, diaphoretica respuit, saltem ea, quae systema sanguiferum stimulant, motum fe-

brilem incitant indeque debilitatem adaugent, qua organismus in deterius ruit. In morbis malignis, typho febribusque aliis, quae vires, stimulis validioribus praegressis exhaustas, confirmant, diaphoretica methodis plus nocet, quam prodest. Saepenumero quidem praeter alias salutares evacuationes sudor exoritur mere criticus, sed viribus restitutis et firmatis materiem febrilem ad cutis superficiem natura ipsa digerit et coctam blande expellit, quibus in casibus tempus, sudori eliciendo opportunissimum recte perpendi nequit. Repudiantur etiam diaphoretica dispositione ad putredinem.

2. Initio morborum nulla exstat evacuatio critica; statu cruditatis itaque vetantur et illa remedia, quibus evacuatio cutanea promoveatur. Ubi morbus nondum emersit, omnino per diaphoretica, praesertim in febribus catarrhalibus et rheumaticis, non solum sine detrimento, sed cum emolumento materiae evacuari possunt; in morbis modo coeptis, praecipue acutis, sudores, nisi morbi naturae ejusque stadiis rite respondeant, levamen non modo non afferunt, sed summa ei parant damna; nam sudore intempestivo vires aegroti, quibus integris ad morbum superandum ei opus est, minuuntur et franguntur, quo fit, ut morbus sibi vindicet characterem malignum, nervosum et diutius protrahatur.

3. Remedia diaphoretica quoque vitanda sunt, ubi morbus magis urina et alvo judicatur, quam sudore. Nam per sympathiam, quae existit inter superficiem cutis externam et viscera uropoëtica tubumque intestinalem, haecce organa functionem illius, si laesa est, suscipiunt, materiasque, cutis functione turbata retentas, e corpore egerunt. Nocebit itaque diaphoreticorum usus, ubi in renibus aut intestinis depositam materiem morbosam medicus videt, atque immemor *Hippocratis* „quo natura vergit, eo ducatur" hunc excretionis modum turbat morbumque pejorem reddit, quod fieri oportet, si materiem retentam ad cutis superficiem allicere studet. In omnibus ergo morbis mere gastricis, si sordes nondum evacuatae sint, rejicienda est methodus diaphoretica; naturae conamina, sordibus eliminatis,

id agunt, ut transpiratio augeatur, calor cutis sustentetur ejusdemque actio promoveatur, quibus administratis transpiratio cutis adaucta morbi gastrici soluti et integritatis redeuntis certissimum signum.

REGIMEN DIAPHORETICUM.

Quodsi medicinae diaphoreticae locus est, nec usum ejus contraindicantia vetant, praesertim respicias et submoveas necesse est impedimenta, quae perspirationi sponte accessurae obstent. Hic praecipue requiritur regimen diaphoreticum congruum, quod in eo est, ut balneis omnes squalores cutem obsidentes removeantur, conclave debito modo tepeat, stragulis mollioribus aeger tegatur et secundum morbi naturam diversam fomentis lotionibusque tepidis, vel abdomini vel thoraci admovendis, modo emollientibus, modo excitantibus, aromaticis scilicet vel vinosis, aliisve curetur, vel in similes decoctiones manus pedesque saepius demittantur, vel frictionibus, praesertim ope lanearum vestium exhalatio promoveatur, quies corpori et animo securitas concilietur. In morbis vero chronicis, cum torpore et systematis sanguiferi languore conjunctis, corporis exercitatio sudorum eruptioni egregie favet.

VITAE CURRICULUM,

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS ADJECTUM.

Ego, Carolus Georgius Schiegnitz, die vicesimo secundo Mensis Aprilis Anni MDCCCVI Halberstadii natus, patre optimo Carolo Friderico, matre carissima, e gente Brendeliana, quem utrumque parentem adhuc incolumen praestitit Deus O. M., confessioni evangelicae secundum Lutheri formulas addictus sum. Primordiis literarum imbutus sum per octo annos in gymnasio patriae urbis, directore Illustr. Maass vigente, cui, optime de me merito viro humanissimo, publice gratias ago, ibique in literas, quibus ad academica studia via munitur, incubui. Anno MDCCCXXIII Mense Octobri, Berolinum me contuli et inter alumnos seminarii regii medico-chirurgici Friderico-Guilelmani receptus, per quadriennium, ut studium medicinae absolverem, hisce Celebr. et Illustr. virorum praelectionibus assidue interfui:

Cel. Wolff mihi tradidit logicen et psychologiam, Illustr. Link botanicen et historiam naturalem. De methodologia et encyclopaedia medica, de anatomia corporis humani universa, de anatomia organorum sensuum, nec minus de anatomia comparata et dentium et de entozois Illustr. Rudolphi, de osteologia, splanchnologia et syndesmologia Illustr. Knape interfui praelectionibus. Iisdem Illustr. Viris arte cadavera rite dissecandi institutus sum. Physiologiam cum generalem, tum specialem Illustr. Rudolphi, Cel. Eck et Cel. Schultze, physicen, chemiam et pharmaciam Illustr. Hermbstaedt et

Cel. TURTE mihi tradiderunt. Frequentavi praelectiones Illustr. FRID. HUFELAND de pathologia generali, de semiotice et therapia tam generali quam speciali, Illustr. HORN de pathologia speciali, de vesaniis et de morbis syphiliticis, Cel. JÜNGKEN de ophthalmiatrice. Beatum BERENDS Hippocratis aphorismos interpretantem audivi; Celsi de medicina libros mihi exposuit et historiam medicam tradidit Cel. HECKER. In therapia speciali (de febribus et morbis nervosis) Perillustr. G. HUFELAND praeceptore gavisus sum; nec non interfui praelectionibus Cel. OSANN de materia medica, de auxiliis in subito vitae discrimine ferendis et de fontibus medicatis.

Chirurgiam generalem, doctrinam de ossibus fractis et luxatis, fascias rite imponendi artem disciplinamque obstetriciam theoreticam et practicam Illustr. KLUGE mihi tradidit. Illustr. RUST chirurgiam universam, Illustr. KNAPE artem formulas medicas concinnandi et anthropologiam forensem, Cel. WAGNER politicen medicam me docuerunt. Illustr. DE GRAEFE, KLUGE et RUST ad cursum operationum chirurgicarum, cum disserentes, tum operationes in cadaveribus moderantes, me instituerunt. Exercitationibus clinicis interfui medicis, chirurgicis et ophthalmiatricis Illustr. virorum G. HUFELAND, NEUMANN, DE GRAEFE et RUST.

Studiorum cursu absoluto, in nosodochio Caritatis berolinensi per annum medico-chirurgi inferioris munere functus sum.

Tentamine et examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine legitime superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque palam defensis, medicinae et chirurgiae doctoris gradus mihi concedatur, quo impetrato, Paderam, ut medici militaris inferioris munus adgrediar, iussus me conferam.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Contagium typhodes solummodo per cutem recipitur.

II.

Materiarum criticarum evacuatio probat crisin jam absolutam.

III.

Therapia generalis pluris aestimanda, quam specialis.

IV.

Nullus morbus mere dynamicus.

V.

Febris puerperalis non est morbus sui generis.

VI.

Ophthalmia neonatorum tantummodo refrigerio originem debet, nisi contagio producatur.

VII.

Condylomata lata adnumeranda sunt exanthematibus.

VIII.

Inter amputationis contraindicationes non referenda est febris hectica.